

in alijs, magnum detrimentum eviter. Hac eadem ratione Disp. 115, in materia de bello exculamimus a peccato captivos Christianos, qui ad imperium Turcarum remigant, dum Turcae Christianos insequuntur, & familia alia ministeria in Turcarum exercitu admittunt ad educus Christianos. Quando ergo qui gladium alterius haberet in depositum, mortem sibi inferri timeret, si gladium non redderet domino illum petenti ad alterum iniuste interficiendum, aut timeret notabile reipublice damnus, aut aliorum suorum proximorum, qui ea de causa iniuste interficerentur, licet posset illum reddere. Quando item timeret odium & inimicitias cum creditore, nisi illi redderet pecuniam ei debitam, quam petit ad intentandam aut prosequendam litem iniustam, (praesertim si simul sibi persuaderet, esto eam illi non traderet, non cessaturum illum a lite, quia aliunde pecuniam ei ad habere) licet posset eam illi solvere: quoniam cum tanto suo onere non reuertur in eo euentu differre solutionem praesertim cum ea via non impeditur iniustitia, qua proximo paratur.

Secunda conclusio. Quando creditor exigit, quod sibi debetur, ad se ipsum interficiendum, aut ad aliud corporale damnus sibi inferendum, ut gladium depositum ad se interficiendum, aut cibum ad comedendum, quod creditur valde ei nociturus, sub reatu lethalis culpae tenetur debitor differre restitutionem talis re: nisi sibi, aut alijs, notabile damnus ex ea dilacione immineret. Conclusio haec communis est doctorum, estque perspicua ex praecedenti. Sicut enim lege caritatis tenetur vitare damnus ceterorum proximorum, quando illud nobis non imminet notabile detrimentum: sic etiam vitare tenetur damnus in ipsis creditoris, cum non minus sit proximus nosse, quam alij. Est autem vera et licet opinio Sorii & Ledesimij, quam praecedente conclusione restatimus: in euentu tamen huius conclusionis cessat obligatio restituendi creditoris damnus ex non dilata solutione subsequuntur: quoniam licet creditor dominus non sit propriae vitae ac corporis, vtraque sequenti videbitur, ei tamen volenti & consentienti non esset facta iniuria damni propriae vitae & corporis, quatenus ei quoad vitam sunt a Deo concessa. Adde, quod cum ipse sibi ipsi fuisset principalis causa sui damni, nullus tenetur illud ei restituere: cum causa minus principales damnus solum tenentur in defectum causae principalis, quando cuiusdam tertio damnus iniuste esset datum.

Tertia conclusio. Quando creditor exigit, quod sibi debetur, ad peccata, quae non sunt contra iustitiam, licitum est debitori differre solutionem: quin ad id tenetur lege caritatis, quando ea via impeditur peccata creditoris, debitorique ex ea dilacione solutionis non immineret notabile detrimentus aut molestia. Quando tamen ex dilacione solutionis non immineret peccata, quia, si tunc debitor ei denegat, quod illi debet, etas petet eodem animo ac intentione, atque ita pluries petet ad peccandum, denegatioque illa debiti erit potius creditoris occasio multiplicandi ac committendi plura peccata, quam commisit, si prima vice traditum illi fuisset suum debitum, tunc tradidit illi statim posset ac deberet. Nisi forte ex eo, quod statim traderetur, sequeretur ruina spiritualis tertiae personae, quam ad peccandum esset iniuratus & attractus ea pecunia, neque ea iniuraret, si statim id debitum non esset ei traditum: tunc enim propter detrimentum illud spirituale tertiae illius personae, obligatio esset ex caritate differre solutionem, si commodè sine notabili debitoris detrimento differri posset. Conclusio haec ex eo est manifesta, quod Deus vnicuique mandauit de proximo suo: & quod praesertim sit talis spiritualis

proximi sibi eiusdem, quando id necesse est ad erudendum eum, aut ad illum praesertim ad peccatum, iuxta ea quae in materia de correctione fraterna copiose explanata comprobataque sunt: non ergo maior cum ratione differenda erit restitutio, solutiove debiti bonorum exteriorum, quae longe inferioris sunt rationis, quoad, eam differendo, creditor sine notabili detrimento debitoris a peccatis praesertim abstinere: quicquid tunc creditor irrationabiliter inuitus, si non consentiat, ut differat solutio, ac proinde erandū non erit de irrationabili ac iniusta illius voluntate. Consentire videtur Sorius in hac conclusione, citato, & consentiunt D. Antonius. 2. par. tit. 1. cap. 14. §. 2. & Nauar. in Manu. cap. 17. num. 5. & 6. Qui addunt, fas esse surripere, occulte mulieri fucos & pigmenta, quibus alios allicit ad peccandum, & instrumenta laesoria ab habitibus illa ad inique ludendum: Quod intelligit, quando ea ratione impeditur peccata. Si enim statim emenda essent instrumenta alia, quibus peccata similiter fierent, fas non esset occulte surripere eiusmodi instrumenta. Nunquam etiam cum peccantium scandalo aut vi arcendi sunt homines a peccatis, nisi a publica potestate, ab eo, cui id ex officio incumbit.

Dubium est, si in euentibus, in quibus in hac dilacione est explanatum, fas esse differre solutionem debiti, sequatur creditor ex ea dilacione detrimentum aliquod in bonis ipsis temporalibus, nam debitor tenetur illud ei relaxare: si tunc dilacione praecedente offendimus, debitorum relaxare tenetur detrimentum creditoris ex eo sequatur, quod debitor in suum proprium commodum licite distulerit debiti solutionem. Respondendum verò est neganter. Ratio autem est, quoniam cum debitor in euentibus hac dilacione explicari non differat licite solutionem in suum proprium commodum, non tenetur vel dilationem solutionis eius debiti sub tacito pacto ac conditione, quod creditor relaxet, si quod damnus ea de causa fuerit ei sequatur.

Dubium item est, num in euentibus, in quibus hac & praecedente dilacione est ostensum, licet esse debitori differre solutionem debiti, siue propter debitoris impotentiam, siue ob causas alias explanatas, tenetur debitor facultatem a creditore petere, ad ita solutionem differendum. D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 8. ad 2. affirmare videtur. Dicendum verò est, id necessarium non esse, quoniam iusta causa in euentibus est, vel, velis, nolis, creditoris restitutio differatur. Forè tamen D. Tho. intellexit, quando esset dubium, an esset iustitiam causa ad differendam restitutionem: tunc enim consilium esset, debitor per se aut per alium petere a creditore facultatem differendi solutionem. Atque ita Sorius. 4. de iust. q. 7. art. 4. Diuus Tho. exponit.

DISPV. 75.6.

Num, quando restitutio feridebet statim, confessarius concedere penitenti inducias possit ad restitutionem differendam. Et quousque negare absolutionem debeat non restituenti statim.

Restitutio statim quando debitor tenetur, non potest confessarius inducias illi concedere ad restitutionem differendam, nisi que absoluerit.

Restitutio.

Restituere, qui cum possint, restitutionem in tempore mortis reseruant, item qui dubitant, an aliqua iura se possideant, eam differunt in tempore mortis, ut ex examene inuigant suis hereditibus, quique cum mortis tempore possint restituere, executionem committunt in testamento hereditibus, in quanto periculo versentur. Restituere iustus in vna confessione, si in alia accedat, non id sua culpa opere non impleto, quomodo cum iosepho gerere debeat confessarius. Absoluti, qui decimam non soluit, nihil impediende praesertim Concilij Tridentini, & Archiepiscopatus Eouensis dispositione, quando possit, & quando non possit.

Dubium est, in euentibus, in quibus, iuxta haecenus dicta, nefas est debitori restitutionem differre, sed statim tenetur eam integre tacere, num fas confessario sit concedere penitentem, ut paulatim illam efficiat, absolutionemque illi impendere, quando ita viliter ageret negotium creditoris, quia forte ita melius recuperabit suum debitum, & quando subueniet simul penitenti, quem ad ducere non potest, vi simul totum restituat. Quidam, quos Syluest. verb. rest. §. 9. §. 5. refert, affirmant respondere. Contrarium tamen est proculdubio affirmandum cum Io. Med. deref. q. 5. Soto. 4. de iust. q. 7. art. 4. & cum alijs doctoribus communiter. Debitor quippe, nisi ex creditoris voluntate restitutionem differat, in statu est ethialis culpae, in capaxque est absolutionis. Neque confessarius in eo loco est leuester inter creditores & debitorem, aut creditoris procurator, qui creditoris nomine dilacionem restitutionis possit concedere; sed est iudex penitentis loco Dei, ministerque Dei ad illum absolvendum constitutus, si ad id cum aptum inueniat. Sorius citat Syluestrum, quasi sit in sententia, quam impugnat: immerito tamen, vt constat Syluestrum legenti.

Ex dictis hac, & praecedentibus disputationibus, satis est manifestum, in quanto versetur periculo, quin & in quam aperto sint peccato, qui restitutionem ad mortis articulum differunt. Si enim restitueat statim possunt debitum totum, aut partem, incapax sunt absolutionis, nisi totum, quod possint, restituant. Quod si repentina morte in eo statu ex hac vita discedant, damnationem incurrent aeternam, cruciatibusque sempiternis adigentur. In eodem damnationis statu sunt, qui dubitant, an aliqua ex ijs, quae possident, iusto titulo retineant, neque, dum viuunt, id examinare curant, sed solum statuant id omnia suis hereditibus in suo testamento iniungere. Itē in eodem damnationis statu sunt illi, qui in mortis articulo commode possunt per se ipsos restituere, idque efficere renuunt ac nolunt, dicentes, se praecipere haec restitui sine ratione sunt absolventi. Tum quod id iudicium sit, eos non habere restituendi animum, nisi sub conditione, si ex eo morbo ex hac vita discedant, atque in tempus, quo mortui a sint. Tum etiam quia quam sepius non impleatur testamenta, magnum praesertim. Tum denique quoniam, cum restituere statim possint, nefas illis sit, restitutionem differre, praesertim quae pendat ex aliorum voluntate & executione post mortem ipsorum.

Caei. verb. rest. e. 6. & alij, recte admovent, quando aliquis iustus antea in confessione, restitutione aliqua restituere, accedit in alia confessione, restitutione illa minime impleta, regulariter non esse absolvendum antequam opere restituat, aut restitutionis dilacionem a creditore obtineat. Quamuis enim credendum sit, eiusmodi penitentem accedere cum restituendi pro-

Tom. III. Pars Posterior.

postulo, quando dicit, Pater haec vice, cum hinc discesse restituiam, nihilominus timendum est, si cunctante, obtemperata absolutione, fuit negligens, propositaque mutauit: ita idem illi modo obuenitur, ob restituenti difficultatem, humanamque fragilitatem, eaque de causa dicendum illi est, interim dum es in hoc firmo proposito, illud adimple, & postea accede, impendeturque tibi absolutio. Oculum tamen, quando penitens in secunda aut in tertia confessione accedit cum impotentia ad tunc restituendum iuxta ea, quae praecedentibus disputationibus sunt dicta, denegandam ei non esse absolutionem ex eo, quod non restituit statim, esto non semel antea fuerit iustus restitueret, si tunc negligentia non restituerit. Semper tamen est curandum, vt faciat, quod portet, si tunc commodè aliquid poterit facere. Item si confessarius non leuiter credat, penitentem re ipsa restitutum statim siue mora, quia non ea acrimonia iusta illi fuit restituitio in praecedentibus confessionibus, & quia ad sunt circumstantia, quibus confessarius sibi merito persuadet, penitentem id opere impleturam, poterit aliquando illi impendere absolutionem: praesertim illi praesertim, vt non prius ad sacram Eucharistiam accedat, quam opere restitutionem impleat, aut quam creditorem ea de re alloquatur.

Concilium Tridentinum sessione 25. cap. 12. precipit, vt, qui decimas non soluit, aut qui ne soluerentur impeditur, excommunicetur, neque a crimine absoluitur, nisi sequuta plena satisfactione. Quo loco obserua, non excommunicare incidentes in hac crimina, sed praecipere vt excommunicentur. Neque reserua absolutionem eius criminis, tollere e iurisdictionem ad absolvendum, sed praecipere confessionis, ne absoluant, quousque opere sit facta solutio talem decimarum. In constitutionibus Eouensis Archiepiscopatus, tit. 3. cap. 6. reserua ab absolutio a crimine non solvendi decimas, modo quantitas non soluta pertingeret ad valorem ducentorum cruciatorum, quos nos duccos vocamus. Quando verò quantitas ad eum valorem non pertingeret, permittebatur confessariis absolueret ab eo crimine, sub ea tamen conditione, vt penitentes prius opere satisfacerent. Confessarijs verò, qui aliter absolueret attentarent, imponebatur poena ex communicationis ipso facto incurrenda. Postea verò in additionibus ad constitutiones fuit permissum, vt quando aliqui reperirentur impotentes ad decimas restituendas, non prius casus ille censureret reserua, esto summa excederet valorem ducentorum cruciatorum, quam a confessario tali penitentibus fuisset praescriptum certum tempus, iuxta quod illas restitueret: transacto vero eo tempore, si intra illud penitens non restituit, maneret deinceps casus E. p. t. reserua. In omni autem euentu in quo penitens opere restituit, conceditur ibi posse absolui a praerente crimine: quonia reserua solum in intelligitur, quousque restituitio opere fiat.

His ita relatis, dubium est, verum, nihil prohibitionis Concilij Tridentini impediende, si aliquis accedat ad confessionem, nisi culpa non soluit de decimis, attamen, quando ad confessionem accedit, impotens est ad restituendum, iuxta ea quae praecedentibus disputationibus dicta sunt, possit absolui. Affirmanterque est respondendum cum Nauar. in Manu. c. 17. num. 79. Ratio autem est, quoniam Concilium non prohibet absolueret, nisi eum, qui tunc tenetur restituere, quique peccat non restituit. Quod vero attinet ad reseruationem Archiepiscopatus Eouensis, sanè, qui post terminata confessione illi datum, idcirco non restituit, quia non potuit absolui potest a quocunque, si adhuc pericret in impotentia. Ratio autem est, quoniam cum non

Y pcc-

peccauerit non restituendo, excusante illum impotentia, nullam crimem habet referuatum...

DISPVT. 757.

Num condonatio creditoris liberet debitorem a restituendi onere.

SYMMARIUM.

- 1 Restituendi ab onere liberat creditoris condonatio ac remissio, modo condonare id possit, & condonatio sit libera, & quot modis libera non censetur.
2 Restituendi ab onere ut debitor remissione creditoris liberetur, non est necesse offerri pecuniam debitam creditoris, interduque consilium est, nec illi ostendi nec offerri.

Examinandum ulterius est, nu' causae nonnullae debitorum a restituendi onere liberent. Quod vero attinet ad condonationem, seu remissionem debiti per creditorem factam, dicendum est. Eam debitorum liberare a restituendi onere, modo tamen sit libera: & modo is, qui remittit, possit donare. Cum .n. debiti gratuita remissio donatio quaedam sit, sane, qui donare non potest, iuxta ea quae in materia de donationibus, Disp. 274. dicta sunt, neque etiam potest debitum remittere. Similiter quanta libertas requiritur ac sufficit, ut donatio sit valida, iuxta ea quae Disp. 267. explanata sunt, tanta requiritur ac sufficit, ut debiti remissio debitorum a restituendi onere liberet. Si quis ergo per metum, aut minas, debiti remissionem extorqueat, vel quamuis nihil minetur, si tamen qui debitum remittit, illud remittit, quia timet, nisi ita remittat, asperae ac iniuste a creditore potente esse tractandam, tunc eiusmodi remissio, utpote inuoluntaria mixta, debitorum non liberat ab onere restituendi. It' si quis per fraudes ac mendacia debiti remissionem extorqueat, fingendo se pauperiorem quam sit, aut fingendo aliam, quomodo contraria si creditor sciret, non solum non remittit debitum, sed etiam vellet, ut invalida ac nulla esset talis remissio, tunc eiusmodi remissio, utpote inuoluntaria mixta, ignorantia ac deceptione causante inuoluntaria, non exonerat debitorem a restituendi onere: idque non solum quando creditor eo modo esset deceptus per debitorem ipsum, sed etiam quando per tertiam personam eodem modo esset deceptus.

Diuus Antonius, & pauci alij, in ea fuerunt sententia, ut dicerent, ut remissio debiti a restituendi onere debitorum liberet, necessarium esse, debitorem offerre creditoribus, quod illi debet, eo tempore, quo remissio talis debiti illi fit: alioquin remissionem esse invalidam: eo quod non sit sufficienter libera: quippe cum multi in pecunia absentia debitum remittant, qui, si pecuniam praesentem haberent, eiusque offerretur, debitum non remitterent. Contrariam tamen sententiam merito doctores communiter affir-

mant, Caiet. 2. 2. q. 62. art. 6. ad 3. & in summa verb. rest. c. 7. Ioan. Med. de rest. q. 3. causa 2. Sotus. 4. de iust. q. 7. art. 4. Nauar. in Mana. c. 17. nu. 44. Couar. reg. peccatum. par. 2. in initio. nu. 7. & plerique alij. Ut .n. debiti remissio valida sit, satis est, cum esse ab solute liberam absque inuoluntario mixte, esto creditor precibus debitoris, aut alius cuiuslibet, ad id inducatur ac attrahatur, & esto pecunia fit absens. Atque, quando non constat creditoris consensum esse inuoluntarium mixte, quia non sunt vehementes coniecturae, quae id vehementer persuadent, praesumendum est, esse liberum sufficienter, ut remissio sit valida, ut probe Caietan. affirmat. Qui recte etiam admonet, quando debitor est pauper, sanum consilium esse, rem debitam non offerri creditoribus, quo facilius debitum condonet: sepe enim creditores in praesentia obiecti, ab eo attracti & illecti, non remittent debitum, quando, si obiectum eis non ostenderetur, debitum remitterent. Ioan. Med. addit, validam esse debiti remissionem, ac debitorem a restituendi onere liberare, quando ex parte creditoris sufficienter, modo explicato, est libera, esto debitor in ea sit dispositione, ut propositum, quod si creditor illud non remitteret, ipsedebitum non solueret. Id quippe peruersum propositum culpa est lethalis in euilmodi debitor, eaque de causa contritionem impedit, reponique talem debitorem in gratia interim dum id propositum perseverat, ac proinde incapacem cum absolutio nis efficit, non tamen impedit eam remissionem ualidam esse, debitoremque a restituendi onere liberare.

DISPVT. 758.

Utrum debitor per ingressum religionis liberetur a restituendi onere maneat.

SYMMARIUM.

- 1 Debitor, qui lucrando in seculo saltem suo labore & industria satisfacere debitis potest, ingredi non potest religionem, neque in ea potest recipi, praetermissa restitutione.
2 Debitor si religionem profectatur debitis non solutis, tenetur, si qua via possit aliquid intra monasterium lucrari, illud restituere, neque impediri a prelato quoad id potest. Si quid vero ad monasterium deuoluatur ratione talis religiosi, ante omnia de illo satisfaciendum est debitis. Equatenus, si in monasterio spes non sit satisfaciendi, sit vero quod regressus ad seculum satisfacies, quatenus regressi teneatur, ante non teneatur.
3 Religiosis ingressus si plus adiuuet, quam impediatur, ut debita soluantur, debitor licet ingredi non potest.
4 Religionem ingredi non potest, nisi impleto prius iuramento, aut obtenta remissione ab eo, cui se obligasset, qui ad aliquid licitum se alieni sub iuramento obligasset.

Diuus Tho. 2. 2. q. 89. art. 6. ad 3. art. debitor, cedendo bonis creditoribus, posse ingredi religionem, neque tunc expectare in seculo donec debita soluat, esto spes sit, & negotiatio, aut laboratio in seculo possit esse solueri. Ducitur. Quia pro debita persona hominis liberi non obligatur secuti iura, sed solum bona illius: quare, cedendo bonis, libera manet persona debitoris. In eadem sententia sunt Palud. in 4. dist. 38. q. 3. art. 1. conclu. 7. Syluest. verb. religio. 2. q. 4. art. 5. Angelus eodem verb. nu. 6. & quida alij. Quia eorum addunt, esto

esto iureiurando se abstini, si aliquid in seculo efficeret, posse id in seculo relinquere, religionemque intrare: eo quod iuramentum impeditiuum non sit maioris boni. D. Tho. ab illa sua opinione excipit, nisi obligatus esset ad aliquid certum, ut si obligatus esset ad rationes reddendas, vel ad aliquod debitum certum in singulari: tunc enim ait, teneri illud prius expedire, quam religionem ingrediatur. Quia alij solum excipiunt, quando obligatus esset ad rationes communitatis: quoniam antequam illa redderet, recipiendus non esset in religione, ut D. Greg. in Regitro affirmat, & habetur. c. legem. dist. 35. Post ingressum vero religionis multi ex autoribus, citatis affirmat, teneri monasterium restituere de ijs, quae occasione talis monachii acquirunt, si quae forte illius occasione comparauerit, successione ex testamento, aut ab intellectu, donatione, vel quaui alia ratione: quod tamen non esse in dubium reuocandum. Monasterium enim, loco sui religiosi, solum succedit in ijs, in quae successore talis religiosi, si sui iuris esse, deducto aere alieno talis religiosi. Addunt vero ijdem auctores, monasterium de alijs monasterij eiusdem bonis non teneri ad debita sui religiosi. Subiungunt praeterea, monachum ipsum, post ingressum, posse scribendo, aut aliter honeste laborando, lucrari, ut suis debitis inde satisfactis, modo in nullo ab officio diuino, & a regulari obedientia, impediatur. Affirmant tamen, non teneri eo modo laborare ac lucrari, ut suis debitis satisfaciatur, sed satis esse, quod, profectando religionem, suis bonis cessent.

Argumentum aliud.

Staderi autem potest opinio horum omnium doctorum, quoniam, nihil impediens obligationem, qua sponsum tenetur sponsae post sponsalia celebrata, & nihil impediens obligationem, qua vnus coniux tenetur alteri post matrimonium per verba de praesenti celebratum ante consummatum sit per copulam, potest vnus sponsum, aut talium coniugum, religionem ingredi: ergo forte maior dum ratione, nihil impediens debito pecuniario, poterit debitor religionem ingredi: praesertim cum creditores consentire teneatur in eo ingressu, ne debitor, propter creditoris pecuniam, consensu qui impediatur tantum bonum.

Prima conclusio.

In contraria quadam ex parte sententia, quae sequentibus conclusionibus continetur, sunt Maior in 4. dist. 38. q. 17. Nauar. c. non dicatis. 12. q. 1. nu. 3. & 74. Ioan. Med. de rest. q. 3. causa 8. Ieron. in Abecedario, cui multi Parisiensis doctores subscripserunt, eamque ut veram amplector. Prima conclusio est. Debitor, qui in seculo acquirere potest suo labore, arte, aut industria, ut debita soluat, quae debet, si per ingressum religionis a restituendo impediatur, peccat religionem ingrediendo, neque in ea debet recipi. Probatur primo, quoniam obligatio solvendi debitum, est de iure diuino naturalis, modo debitor possit licite acquirere unde soluat, neque cessio bonorum cum liberat ab eo onere in conscientia foro, sed in exteriori foro cum liberat, ne detradatur propter id debitum in carcerem interim dum, factam iam prius cessione, non habuerit unde commode soluat, relinquendo illud egeat, quin in hoc Castellae regno, statim facta cessione, traditur ad seruendum ordine quodam aedificatoribus, quousque, ita illi seruendo, integre persoluat eis sua debita, ut haec omnia Disp. 572. explanata communi probatae sunt: ergo, qui propria sponte se inhabilem ac impotentem reddit ad solvendum, sua debita peccat contra diuinum ius naturale, quo ea solvere tenetur, nihil impediens, quod ad id se inhabilem ac impotentem recidat religionem profectando: quod quidem profectio religionis solum est de consilio, & propter illa, quae solum sunt de consilio, omittuntur. Tom. III. Pars Posterior.

non possint, quae sunt de praecipis, eo quod diuino ac naturali. Quare sicut, qui solus toto brachio comparare possit unde debita sua soluat, si illud sibi sine iusta causa ab seinderet, peccaret non solum contra caritatem propriam, quantum de decalogi praecipis, sed etiam contra iustitiam aduersus septimum decalogi praecipuum, in habile se ea via reddendo ad debita solvenda, quae septimo de decalogi praecipio tenetur solvere: ita qui, profectio religionem, se in habilem redderet ad eadem debita solvenda, peccaret contra iustitiam. Secundum, ut D. Tho. art. illo 6. citato affirmat, filius, quando sub reatu lethalis culpe tenetur subuenire patri indigenti, illi acquirendo ratione de sustentetur, non potest ingredi religionem: si uero illam ingrediatur, peccat, eo quod praetermittat id, ad quod diuino naturali iure tenetur, ut videlicet, quod solum est de consilio: ergo eadem ratione, qui solutionem debitorum praetermittit, ad quod diuino naturali iure sub culpa lethali tenetur, ut religionem profectatur, quod solum est de consilio, peccat contra septimum decalogi praecipuum. Tertium, nefas est querere lucrum finem proprium spirituale aut temporale, cum praetextu ac detrimento alterius, cum, auctore Paulo ad Rom. 3. non sint facienda mala, ut inde eueniant bona: neque sit iustum, quatenus cum aliena iactura locupletari, ut cap. suam de penis, & alibi, habetur: ergo nefas est religionem ingredi, quando ea de causa praetermittitur solutio debitorum, ad qua ita ingrediens de iustitia tenetur septimo decalogi praecipio. Quartum, qui publicis rationibus sunt affecti, non prius recipi in religionem possunt, quam ab illis se expediant, ut doctores contrariae sententiae concedunt, & habetur. c. legem. dist. 35. Imo D. Thom. concedit, cum quique debitor est rei solutus determinatae, non prius in religionem posse recipi, quam illam soluant: mancipia itam recipi in religionem non possunt, sine consensu dominorum: si autem recipientur, extrahi a dominis possunt intra triennium: haec autem non alunde protulerunt, neque aliunde vim habent, nisi quia per eiusmodi ingressum iniuria illis fit, quibus sunt obligati: cum ergo similis iniuria fiat creditoribus, quando debitorum per ingressum religionis impotentem ad solvendum debita redduntur, consequens profectio est, ut nefas tunc illis sit religionem ingredi.

Secunda conclusio.

Secunda conclusio. Debitor per ingressum religionis non deobligatur ab onere restituendi, sed tenetur, si qua via honesta possit, laborando, aut alia ratione acquirere, ut satisfacies. Neque praeterea ea in re potest eam impedire. Quin potius, si eiusmodi debitor alia via non possit, seque vellet in similibus, quod, egrediendo absque scandalo monasterium, licite in aliquo loco lucraretur, teneatur egredi monasterium ad tempus, quousque satisfacies. Semper, tamen tentanda essent alia viae possibiles, videndumque esset, an creditorum condonare vellet, vel alia via vellet esse contenti: Probatur primo, quoniam nullus per votum potest se obligare ad id, quod est contra ius diuinum naturale, eo quod votum solum sit de re placita Deo: sed omisio solutionis debiti, quando aliqua se offert, via ad id licita, est contra ius naturalem ergo religiosus per professionem non potuit se obligare praeterea ad religionem ad id, quod suorum debitorum solutionem impedit. Secundo, si pater, aut quis alius, in exteriori foro necessitate, atque ad id indigeret, religiosum laborare, aut egredi monasterium, teneatur talis religiosus sub reatu culpe lethalis id efficere, nihil impediens, quod aliud tunc praecipere, regulae aut praeterea: ergo, cum religiosus debitor, iure naturali tenetur solvere debita, quae ante ingressum religionis contraxit, tenetur, Y 2 tur,

ter, si ad id opus fuerit, laborare, aut egredi monasterium, etiam contradicente prelo.

Tertia conclusio.

Quando, ingrediente aliquo religionem, & citius ac melius soluerentur sua debita, tunc licite possit ingredi religionem ante debitorum solutionem. Verbi gratia, est aliquis nobilis, qui bona habet vincula, que illi reditus parant, quibus indiget ad sui sustentationem, si in seculo maneat: enim si ad id fuerit reditus, si monasterium ingrediatur, solvere debita poterit; tunc licite poterit ingredi religionem: quoniam ea ratione citius & melius soluentur ipsius debita. Est item aliquis, cui pater tribuit aliqua quotannis ad illius sustentationem, nec pater vult in seculo solvere debita illius, si tamen ingredi velit religionem, pater se astringit solvere debita intra aliquot annos; tunc licite est religionem ingredi. In his itaque, & in alijs similibus euentibus, in quibus ingressus religionis non impedit, sed adiuvat, vt debita solvantur, debita non impediunt religionis ingressum.

Quarta conclusio.

Quando aliquis iurando se abstinentur ad aliquod licitum, quod prelatum non pater religionem ingrediendo, teneatur retardare ingressum, donec illud impleat. Nisi voluntas quasi habitualis ipsius, dum id iuravit, fuerit, non intelligere in euentu, quo ingredi vellet religionem. Si tamen euentus huiusmodi fuerit, atque simpliciter se abstinentur in euentu, in quo alter contractus omnino intelligere debebat se obligare, quia id natura ipsa contractus postulabat, stare teneatur contractui, neque ingredi possit religionem non itando contractui, nisi alter, cum quo contractus, eam obligat ionem ei remitteret. Hæc conclusio, quoad primam ipsius partem, probatur. Quoniam iuramentum promissorium de re licita, vti que ei, cui præstat, obligat promittentem iure diuino naturali, nihil impediens: quod inde iuramentum impediatur exequi maius bonum, vt Disp. 149. & duabus sequentibus, copiosè est ostensum. Hoc enim est discrimen inter iuramentum promissorium de re non mala Deo præstitum, quod rationem voti iuramento confirmati fortitur, & præstitum alicui homini in fauorem & vtilitatem illius. Quod iuramentum Deo præstitum, si impediatur maius bonum, potest non impleri, vt maius bonum executioni mandetur: eo quod Deus semper velit, vt in eo euentu obliget iuramentum sibi præstitum. Iuramentum vero homini præstitum, si fit de re non mala, esto impediatur maius bonum, obligat, nisi is, cui est præstitum, remittat obligationem comparatione ipsius ex tali iuramento resultantem, vt vtrumque dispensatione citata fuit comprobatum. Secunda vero conclusio pars ex eo liquet, quod talis euentus non censetur iuramento ac promissione non comprehensus.

Ad argumens ad primam.

Superest respondeamus ad ea, quibus contraria sententia innuitur. Atque ad illud diui Tho. quod propter debita persona hominis liberi non obligatur secundum iura, sed solum bona illius, ac proinde debitorum, cedendo bonis, posse ingredi religionem, esto debita maneat insoluita, ad hoc, inquam, iam supra disputato, 37. dum sermo nobis erat de censu personali, explanauimus, iura hoc solum statuere, quod in persona hominis liberi non possit constitui ius in re, quali in pignus dari possit, aut subijci hypothecæ, ac vendi ad debiti solutionem: non vero quali ex debito, & contractibus, non resultat in persona obligato personalis, qua ad debita teneatur, etiam si non habeat bona vnde soluat. Quoad id vero, quod de bonorum cessione addit, disputato, 72. ostendimus illam non deobligare in foro conscientie, quin neque in exteriori, ab obligatione personali soluendi debita, si qua via commo-

dè possit, recteque Nauarr. numero tertio, citato innuit, compelli debitorum in foro exteriori posse ad laborandum & acquirendum vnde soluat, quantum conditio, status, & illius patitur. Reliqua, que alij addunt, satis confutata sunt conclusionibus propositis.

Ad id vero, quo eandem contrariam sententiam suadebamus, dicendum est. In sponsa & sponsa, & in ijs, qui matrimonium per verba de presenti celebrant, esse æqualem vtriusque ea in parte conditionem, cum vterque, altero inuito, possit æque religionem profiteri, eaque de causa libertatem illam cum vtrique sit æqualis, neutri esse iniuriosam: quod non ita habet in debitorum comparatione creditoris. Adde, in matrimonio ratio non consummato, & longè maiori cum ratione in sponsalibus, esse libertatem illam vtrique conuigium æqualem, explicatè fuisse à Christo, vocante Ioannem de nuptijs ad Apostolatum, eamque libertatem habere vtrumque coniugum, traditione esse notum in Ecclesia, atque in iure ab eadem Ecclesia esse explicatum, vti alio in loco est dicendum: quare, cum ea libertate ac conditione censetur celebrari illi contractus, nullique proinde coniugum fit iniuria, dum alter religionem profiteretur. Vnde ad argumentum, concessio antecedente, neganda est consequentia: quoniam est longè diuersa ratio, vt explanatè est. Ad id vero, quod subiungitur, creditorum scilicet teneri consentire in eo ingressu, ne debitor, propter creditoris pecuniæ, consequi impediatur tantum bonum: Negandum est, eam esse sufficientem causam, vt creditor consentire in eo ingressu teneatur. Cum enim religionis ingressus non fit medium ad salutem necessariam, sanè licet creditor non tenetur illi dare alia sua bona, vt religionem ingrediatur, ita neque tenetur remittere illi debitum.

DISPV T. 759.

Num creditorum esse excommunicatum, sufficiens causa sit differendi restitutionem eius, quod illi debetur.

S Y M M A R I V M.

1 Restitutio vt fiat, impedimentum non est, creditorem esse excommunicatum, maxime si denunciatus non sit, nec sit notorius percussor clericus.

Glossa. ca. vlt. de hæret. & additio cuiusdam alterius glossæ. c. nos sanctorum. 15. quaestio. 6. Panor. Felin. ca. inter alia. de sent. excommuni. idem Panor. ca. veritatis. de dolo & contum. a. nu. 39. Adrian. in 4. q. 3. de clauibus. & alij, quos Couar. reg. peccat. p. 1. n. vi. refert. quomuis concedant, contractus ab excommunicato celebratos, validos esse qua ratione testamentum ab illo confectum, est validum, vt cum eodem Panor. Ant. Gom. & alijs Disp. 137. ostendimus: negant tamen debitorum soluere teneri suo creditorum interitum dum creditor excommunicatus perseverat, esto iam aduenerit terminus ad soluendum præfixus, & esto sub iureiurando promissis, seu eo termino soluturum. Id quippe iuramentum intelligi debet, modo creditor in eo termino fit habilis, vt cum illo in eo termino communicetur. Item iuramentum non est vinculum iniquitatis, vt obligare possit ad illicitum: peccatum autem est communicatio cum excommunicato illi soluendo, quod ei debetur.

Hanc suam sententiam confirmant. Primo, ex cap. nos sanctorum. & ex cap. iuratos. 15. quaestio. 6. quibus

Ad posse. rursus arg.

Argumentum primum.

quibus in iuribus vasalli ac milites absoluntur à iuramento fidelitatis seruando dominis, quamdiu excommunicati extiterint: imò vero prohibentur eam fidelitatem, & obsequium illis præstare.

Secundum.

Secundo, quia, cap. in dubijs, & capit. inter alia de sent. excommunic. solum ijs permittitur communicare cum excommunicatis, quibus Gregor. Sec. primus. cap. quoniam. 11. quaestio. 3. id permittit: inter illos autem non computantur, qui solunt pecuniaria debita.

Tertium.

Tertio, quoniam, cap. in iungimus. de iudicij, excommunicati excluduntur aperte ab agendo in iudicio, tametsi contra illos possit illis optime intentari: ergo debitorum soluere eis non tenentur, quæ illis debent, interim dum excommunicati existunt.

Argumentum.

Contrariam sententiam affirmant Glossa. cap. nos sanctorum. 15. quaestio. 6. Ioan. Med. de restit. quaestio. 3. causa 9. Couar. num. vit. citato, Maior in 4. distinct. 18. quaestio. 4. Syluest. verb. excommunicati. 5. num. 21. Inno. & plerique alij, quos bido doctores citant. Nempse excommunicationem creditoris non impedit, quo minus illi soluantur, quod ei debetur. Ducuntur, quoniam debitor iure diuino naturali teneatur ad restitutionem effectus, cui obligari contrauenire non potuit ius humanum, prohibens communicationem cum excommunicato. Item quoniam communicatio illa cum excommunicato, soluendo illi suum debitum, est modica ac debita, non minus quam obsequium famulorum, & solutio colonorum, & aliorum, qui non solum communicare permittuntur cum excommunicatis, cap. quoniam. 11. quaestio. 3. sed etiam, cap. inter alia. de sent. excommuni. decernitur, eos teneri cum illis communicare: ergo debitorum etiam tenentur communicare cum suis creditoribus excommunicatis, soluendo illis, quod naturali iure eis solvere tenentur.

Ad argumens ad primam.

Vt in hac re, certa ab incertis separemus, in primis dico. Post Concilium Constantiense sub Martino. V. & Lateranense sub Leone X. dubium non esse, debitorum teneri soluere suis creditoribus excommunicatis, que eis debent, quando creditores illi non sunt denunciati, nec sunt notorij percussores clericis. Quoniam duo hæc concilia permiserunt communicationem cum excommunicatis, quando denunciati non essent, neque essent notorij percussores clericis.

Ad argumens ad primam.

Deinde dico. Loquendo de denunciatis, aut notorij percussoribus clericis, neutrum sententiam re latam esse improbabilem. Non quidem primam. Quoniam, cap. quoniam. 11. quaestio. 3. non excipit communicationem cum excommunicato soluendo illi, quod ei debetur: aperteque ibi innuitur, exceptiones ibidem concessas, prohibitas fuisse ante illum canonem: quare hæc etiam videtur fuisse prohibita: vnde, cum neque ibi, neque alibi, reperitur concessa, probabilitate non caret, eam adhuc esse prohibitam. Neque cogit id, quod Medina ait, cū videlicet obligatio soluendi debitum sit de iure naturali, ius humanum, prohibens communicationem cum excommunicato, non potuisset impedire eam solutionem. Id, inquam, non cogit. Quoniam ius humanum licite in penam iustam potest prohibere ac retardare solutionem eius, quod iure naturali ei debetur, qui sua culpa in excommunicationem incidit, quouique à contumacia delinquit, obtineatque abolitionem. Non est etiam secunda sententia improbabilis. Quoniam argumento à longè maiori ratione conclusæ ac intelligi per epicheiam videtur, eam fuisse mentem Gregorij VII. capit. quoniam citato, iuncto cap. inter alia, etiam citato, coadiuuante rationes pro eadè secunda sententia con-

secta: interimque in eam, vt in humaniorem & communiorem, inclino.

Ad primum ergo argumentum contraria sententia ex c. nos sanctorum, & ex cap. iuratos, dicendum est, ibi solum esse sermone de fidelitate & obsequio, à quibus Ecclesia absoluit subditos in penam dominorum, interim dum domini excommunicati existunt.

Ad secundum dicendum est, ibi per epicheiam, argumento à longè maiori ratione, censeri permittam communicationem cum excommunicato soluendo illi, quod naturali iure ei debetur, vt dictum est.

Ad tertium dicendum est, eo in capite excommunicatos, in penam atque in odium ipsorum, excludi solum ab agendo in foro exteriori: non vero prohiberi debitorum soluere eis debita, vt in conscientia foro tenentur. Couar. vbi supra, & 1. var. resol. cap. 18. nu. 5. ait, excommunicatos apud Hispanos passim admitti ad agendum in seculari foro, nihil impediens, quod illi, contra quos agunt, excipiant, seu opponant, eos esse excommunicatos.

DISPV T. 760.

Restitutio quo ordine sit facienda, quive creditores præponendi sint alijs in solutione eorum, quæ illis debentur.

S Y M M A R I V M.

- 1 In restituendo quis ordo seruandus sit, quando sufficientia bona non sunt ad creditoribus omnibus satisfaciendum, vbi copiosè explicatum.
2 Restitutio bonorum certorum præponenda non est restitutioni bonorum incertorum, hoc est, que debentur operibus pijs pro animabus eorum, quibus scitur deberi, & ignoratur, qui illi sint.
3 Compositio licet fiat à debitore, qui executor est testamenti, vel ab heredibus circa bona incerta, inde etiam soluenda nisi debita certa, quando non sunt sufficientia alia bona vnde soluantur.
4 Restitutio hoc ordine fieri debet. Si aliquod bonum reperitur inter bona debitoris, quod quoad dominum ad alterum spectet, illi omnino est restituendum. Si inter alios creditores nullus sit, qui ius habeat in re, neque qui privilegium habeat prælationis, bona omnia debitoris inter omnes creditores sunt diuidenda iuxta proportionem quantitatis debiti ad debitum, ex quoque titulo debeantur. Excipitur debitum titulo gratuito, quod postponi debet omnibus debitis, que ortum ex liberalitate non habent. Excipitur etiam dos promissa filia comparatione debitorum aliorum titulo oneroso.

Quæ hoc loco dicenda erant, copiosè Disp. 536. sunt à nobis explanata: quo in loco à §. quod vero attem ad vltimum, ordinem in restituendo seruandum tradidimus: vnde illa magno onere nos hoc loco leuabunt. Et quidem quando is, qui restituere tenetur, sufficientia habet bona, quibus omnibus suis creditoribus satisfaciatur, nullum ordinem seruare tenetur. Quando vero sufficientia bona non habet, quibus creditoribus omnibus satisfaciatur, tunc ordinem illum seruare tenetur, siue ipse debitor sit, qui satisfaciatur, siue hæredes post mortem illius, siue tertius aliquis loco illius.

Cæterum in summa verb. restit. cap. 8. Ioan. Med. de restit. quaestio. 2. articulo. 4. Natæ in Man. cap. 17. num. 47. Syluest. verb. restit. 6. quaestio. 5. & alij doctores

Ad primam argum.

Ad secundam.

Ad tertiam.

ctores communiter, hanc, inter alias, regulam statunt: Quando debitor habet debita quedam incerta, hoc est, talia, quod quamvis sciat, se illa debere, ignorat tamen, qui sint illi, quibus debeantur, ac proinde quæ restituenda sint pauperibus, aut in sumenda sine in alijs operibus pijs, pro animabus creditorum, ad quos spectant; & habet quedam alia debita certa, hoc est, quorum creditores optinè no mittenda que esse debita incerta, si non sit vnde solvantur. Rationem reddunt: Quoniam pauperes, & opera alia pia, non habent tantam actionem, quam tam habent creditores certi: neque sit illis tanta iniuria in eo, quod prætermittantur, quanta fieret creditoribus certis. Præsertim cum, et hoc ad essent sufficientia bona; ad restituenda etiam bona incerta, nulla fieret iniuria pauperibus, si illis prætermittis, ea bona in sumerentur in alijs operibus pijs: neque alijs operibus pijs vlla fieret iniuria, si eis prætermittis, ea bona pauperibus distribuerentur: quin, esto ea bona, distribuenda essent pauperibus, nullis singularibus pauperibus fieret iniuria, si eis prætermittis, distribuerebantur alijs.

Quamvis autem fateat, opinionem hanc communem esse, gratæque ad ea discedam, quod communis sit, inclino tamen in partem contrariam. Neque, postponendam non esse restitutionem bonorum incertorum, sed æqualem locum esse illi tribuendum cum restitutione bonorum certorum. Ducor: Quoniam si hæc iure humano est contrarium constitutum, neque fundamentum, cui doctores contraria opinionis præcipitur, id præsuadet. Neque enim est attendendum ad ius, quod habent pauperes, aut causa alia pia, quibus per accidens, loco verorum creditorum, sit restituitio; sed ad ius, quod habent creditores illi, ad quos ea bona spectant, qui busque restituitio fit in pauperibus, aut in alijs operibus pijs, pro ipsorum animabus, iuxta præsumptam illorum voluntatem, & ne eiusmodi creditores defraudentur commodo illo suo spirituali, quod ea restitutione consequantur. Quare, cum primo de veri creditores, quando cætera sunt paria, æquale ius habeant cum alijs creditoribus, aut, si potior illorum sit causa, excellentius ius habeant, non video, cur postponi cæteris creditoribus debeant: præsertim cum causa pauperum, & cæteris pijs, sit faciendum. Confirmari hoc potest, quoniam durum est, eum, qui gratis esset, multosque in inimicis spoliasset, quos nunc omnino ignoraret, quinam illi essent, debere postponere restitutionem, quam ita spoliatis facere tenetur in pauperibus, & in alijs operibus pijs, restitutioni aliorum, cum quibus postea contraxisset: præsertim quando magna pars bonorum, quæ possideret, ortum habuisset ex bonis quibus illos alios spoliasset, quæque alijs vendidisset, aut cum alijs permutasset.

Dubium est, Quid si aliquis habeat debita aliqua incerta, & alia incerta, neque habeat sufficientia bona vnde utriusque debitis satisfacere possit; autoritateque summi Pontificis compositionem faciat circa bona incerta; poterit tunc retinere sibi quantitatem illam, circa quam compositionem fecit, non solvendo de illa debita certa, sed eam sibi referendo? Dicendum est, quando debitor ipse est, qui compositionem facit, huc is fit vltimus, qui circa vltimis componat, quas ignoret, quibus eas debeat, siue sit quicumque alius debitor, dubitandum non esse, teneat de ea summa restituere debita certa: quoniam tenetur restituere omnia sua bona, vnde eumque illi ad venerint, aut vnde eumque ea comparauerit, quousque planè soluat omnia sua debita. Quando autem hæres, aut alius à delincente constitutus exequatur sui testamenti, compositionem circa debita delincenti in-

certa faceret, esset maius dubium. Nam tunc sibi ipsi videtur acquirere summam, circa quam compositionem facit: ipse verò de suis bonis, quæ sibi ipsi comparat, non tenetur solvere debita delincenti. Dicendum tamen est, hunc etiam solvere teneri de ea summa, debita certa delincenti. Ratio autem est, quoniam compositionem eo modo efficiendo, agi negotium ac partes hereditatis ac bonorum delincenti, ea quæ de causa summa illa, circa quam est facta compositio, manet pars bonorum delincenti, quæ proinde restitutioni est obnoxia, quousque integre delincenti debita solvantur. Vnde, vt probè doctores citati observant, in statu damnationis sunt, qui virtute eiusmodi compositionum circa bona incerta, retinent summam, circa quam compositio est facta, ac prætermittunt restitutionem debitorum certorum, causantes, non esse vnde illa solvantur.

Catet in summa verber. est. & Naurar. Manu. c. 17. nu. 42. affirmant, vnde debita ex contractu sunt onerosi, vt ex mutuo, venditione, &c. restituenda esse apud te debita, quæ ortum ex eo habent, quod aliquis videtur rariè sit comparatum. Contra verò Ioan. Met. de rest. q. 2. art. 4. ait, ante omnia esse restituenda, quæ accepta sunt per iniuriam: atque, inter ea, prius restituenda esse, quæ accepta sunt per maiore iniuriam, eaque de causa primo loco esse restituenda, si quid per rapinam sit acceptum, secundo verò loco restituendum esse, si quid acceptum sit per furtum, tertio, si quid acceptum sit per violam, & quarto, si quid debeat ex contractu iusto.

Neutra autem harum opinionum est probanda: sed standum est ordini in restitutione faciendæ. Disputat. 136. ex dispositione iuris à nobis copiosè explicato, cui non est cur conscientia forum non contemnat. Quare, si quid permanet apud debitorem, cuius dominium ad creditorem pertinet, in solutione illius præferendus est talis creditor quocumque titulo creditor sit, idve illi debeat. Si verò, quoad cætera debitoris bona, nullus sit creditor, qui vel ratione hypothecæ, vel ratione privilegij prælationis, iuxta ea quæ disputatione citata explanata sunt, præferri alijs creditoribus debeat, tunc bona debitoris inter omnes creditores, quocumque titulo creditores sint, siue ex delicto, siue ex contractu, sunt æqualiter dividenda pro rata, hoc est, in eadem proportionem, quæ debita inter se collata habuerint, vt ibidem comprobatur est.

Illud tamen est obseruandum, si quid gratuito titulo alicui debeat; hoc est, liberali promissione, hoc in conscientia & in exteriori foro postponendum esset cæteris debitis, quæ ex mera liberalitate debitoris ortum non habuerint. Ratio autem est, quoniam si tale debitum esset contractum postquam iura debitor impotens esset factus ad solvendum debita ex alijs titulis, esset in fraudem creditorum, essetque reuocandum, esto in iure donatio, quod esset in fraudem creditorum, promissum aut traditum esset, si existeret in se, aut in alios quos, vnde, qui illud accepit, esset factus locupletior, & multo magis possidet non solui obligatioque esset illud non solvendi, si nondum esset traditum, vt Disputatione 128. comprobatur est. Si verò id debitum fuisset contractum, quando promittens erat solvens, tunc, cum ad eiusmodi debitum, solum tenetur promittens, quantum commode facere possit, ita vt non egeat, satis factis que prius omnibus alijs debitis ex alijs titulis, vt Disputat. 137. est ceterum, consequens profectò est, vt eiusmodi debitum postponi debitis alijs omnibus debeat.

Quando item debitum esset dotis filie promissæ, postponendum esset omnibus alijs debitis, quæ non essent titulo gratuito debita. Tum quoniam ascendens masculus, promittens dotem, solum tenetur

netur genero quantum commode facere possit; eodemque privilegio gaudet mater comparatione filie dissoluto iam matrimonio, vt Disputat. 425. est dictum. Tum vel maxime, quoniam filia post legem Caroli V. dari in dotem non potest, nisi portio legitima illius, & in Lusitania insuper tertium bonorum parentum eam dotem promittentium: quando autem non est vnde solvatur creditoribus, nulla superest portio legitima filie, nullumque superest tertium parentum. Quare promissio dotis sub ea tacita conditione intelligitur, si eo usque pertingat portio legitima filie, aut in Lusitania tertium bonorum parentum eam dotem promittentium. Et quæ sitare quantitas bonorum, quæ parentes habebant, quando dotem promiserunt, vel quantitas bonorum, quæ reperta fuerunt tempore mortis talium parentum, vt Disputat. 236. & Disputat. 238. de iure huius regni & Lusitaniæ, est dictum; illud ta-

men solum habet locum, vt non teneatur ad lucere ad collationem cum reliquis hæredibus dotem acceptam: non verò vt, quod nondum est eis solutum de dotem promissa, possint accipere bonis parentum, antequam ex eis solvantur debita onerosa, ad quæ parentes de iustitia sunt adituri. Idem est dicendum de donatione ad nuptias missa.

Observant insuper doctores circa rem de ordine restitutionis, si in aliquo loco sint de iura aliqua statuta ea de re lata, illis esse standum: iniqua non sint, iurisque naturali contra. Atque hæc dicta sint ad laudem & gloriam potentis Dei, beatissimæque ac gloriosissimæ semper Virginis Mariæ, circa rem hanc de restitutione, totumque hunc oblongum de iustitia tractatum secundum.

FINIS TOMI TERTII.



quibusque

multis

multis

nomine

4

1109

1109

1109

